IACOBI. HENRICI. BORN

LIPSIENSIS

DE



ANTESTATIONE IN. IVS. VOCANTIVM APVD. ROMANOS

DISSERTATIO

PRAEMISSA. EST. EPISTOLA

AD


DVVMVIROS. CONSVLTISSIMOS

SVMMIS. VTRIVSQVE. IVRIS. HONORIBVS

DECORATOS

LIPSIAE ♃ A. R. S. CIↃIↃCCXXXVII. A. D. VII. ID. MAII

E. TYPOGRAPHIA. BREITKOPFIANA



VIRIS. CONSVLTISSIMIS

QVIRINO. GOTTFRIDO SCHACHERO

ET

GOTTFRIDO. LEONARDO BAVDISIO

VTRIVSQVE. IVRIS. DOCTORIBVS
RECENS. CREATIS


S. P. D

IACOBVS. HENRICVS. BORN

Illuxit tandem, VIRI CLARISSIMI, *secundis Dei O. M. auspiciis, exoptatissimus ille dies, quo Vos post tot labores, post tot discrimina rerum, dignis ornatos praemiis, summoque decoratos iuris bonore, licet alloqui. Ita vero spem, quam iam olim & academia, & patria ciuitas, de Vobis & ingeniis Vestris conceperant, non modo non fefellistis, sed impleuistis ex asse, imo superastis. Iam Vos, arbitror, nunquam poenitebit, tot literis boras consecrasse, tot pertulisse labores, tot omnium bonarum artium scriptores legisse, tot libros peruolutasse, tot audiuisse docto-*

A

res, tot praeclara edidisse reconditae eruditionis monumenta. Quam suauis nunc Vobis erit acti laboris, vigilatarumque noctium memoria, dum ante oculos posita habetis eximia, quae Illustris ICtorum Ordo non nisi merentibus tribuere solet, decora? En Vobis purpuram, regium decus: en pileum, libertatis insigne: en annulum aureum, equestris ordinis ornamentum: en osculum, pignus amicitiae. Ego vero, quemadmodum semper laetus fortunae Vestrae spectator fui, ita non possum non, quin hodierna luce inter laetos bonorum omnium applausus Vos compellem, meaque patriae precibus vota sociem. Faxit summus vitae necisque arbiter, vt diu salui sitis atque incolumes, nouamque hanc honoris accessionem auspicatam Vobis salutaremque esse iubeat. Seruet familias Vestras tot decoribus fulgentissimas, Tuumque inprimis, AMICISSIME BAVDISI, *& reip. commune praesidium,* PARENTEM SVMME VENERABILEM *omni genere felicitatis beet. Macti tanta virtute ac domestica gloria, absoluite illud, quod iam ingressi fuistis, stadium, nouisque laeti honoribus fruimini. Ita valete, ac eundem mihi, quem hactenus expertus sum, amorem seruate. Dabam e Museo in Academia Lipsiensi, d. VII. Id. Maii A. R. S.* cIↄ Iↄcc xxxvii.



DE

ANTESTATIONE

IN IVS VOCANTIVM APVD ROMANOS

COMMENTATIO

ΣΥΝΟΨΙΣ

Praemissa instituti ratione, de genuina vocis scribendae deriuandaeque ratione agitur §. I. *Definitio concinnatur breuiterque illustratur* §. II. *Origo antestationis ex Graecia repetitur* §. III. *Inde in XII. tabb. manasse probatur* §. IV. *Ipse ritus exponitur, inque personarum habilitatem inquiritur* §. V. *Auriculae tactus uberius illustratur* §. VI. *Omitti antestationem non potuisse, nisi personae infames, vt fures, lenones, ac serui in ius raperentur, demonstratur* §. VII. *Vsus antestationis inter Germanos indicatur* §. VIII

§. I 138

Quam vtile & necessarium sit, veteris fori indolem & rationem paulo curatius scrutari, ii norunt, qui immensa ICtorum Romanorum volumina nocturna diurnaque versarunt manu. Hi igitur diu jam in eo elaborarunt sedulo, vt non sibi solum penitiorem illius studii acquirerent notitiam, sed cum aliis quoque eandem in publicis festiui ingenii monumentis communicarent. Quemadmodum vero nullus mortalium, qui primus argumentum aliquod tractandum sibi sumit, id facile adsequitur, ut omnem illius ambitum accurate satis emetiatur, ita & hac ex parte commune cum aliis fatum experti sunt viri iuris peritissimi. Dum enim quidquam, quod ex assidua auctorum veterum lectione didicerant, omittere piaculum arbitrarentur, contigit, vt cruda saepius aduersaria in publi-

publicam lucem propellerent, orbique literato magna quidem, ast non bene pensitata, exhiberent volumina. Atque hoc vitio laborantes, quum & illos deprehenderim, qui de *antestationis apud Romanos usu* commentati sunt, viros doctissimos, haud iniucundam me collocaturum esse putaui operam, si, quae de hoc argumento cogitanti se obtulerunt, colligerem & peculiari exponerem libello. ANTESTARI verbum legale est, quo nullibi fere nisi in iudicialibus vtebantur negotiis 1). Graeci & *μαρτύρεσθαι* simpliciter 2), &, si fides PRISCIANO 3), *προδιαμαρτυρεῖν* conuertunt, nisi penes ipsum *προδιαμαρτυρεῖν* legere & *πρὸς αὐτῷ τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ τὶ πέπρακται, μαρτυρεῖν* interpretari velis cum CL. SALMASIO 4), cuius opinionem post IACOBVM OISELIVM 5) suam fecit celeberrimus iurispr. humanioris antistes EV. OTTO 6). Quae sit genuina vocis scribendae ratio, aliis, quibus grammaticas venari minutias volupe est, relinquimus discutiendum. Quae enim causa SCIP. GENTILEM 7) impulerit, vt nouum, &, ni fallor, inauditum antea verbum *antemstari* confingeret, ego quidem nullus hariolari valeo. Qui *antistari* vel *attistari* scribere consueuerunt, vereor, ne vocis notionem accurate satis cognitam perspectamque habeant. 8) Caeterum haud multum meo quidem iudicio intererit, vtrum per M, an per N ipsam scribas, quum eandem, quam praepositioni *am* ex FESTO 9), GVIL. a LOON 10) & CASP. BARTHIVS 11) vindicarunt, particulae *an* expressis verbis tribuat MACROBIVS 12) potestatem. Deriuatio verbi, quae primo intuenti facilis & in aprico posita videtur, variis criticorum contentionibus ansam praebuit. Mira ANDREAS ALCIATVS 13) narrat, dum *antestem* audiuisse antiquitus, qui nunc per *ἀφαίρεσιν testis* vocatur, sibi persuasit. Saniorem omnino amplexi sunt sententiam, qui verbum *antestari* ex binis vocibus arbitrantur compositum, de quarum posteriori dudum consensere, de priori autem hodieque certi nihil constituerunt. Neque enim conuenire inter ipsos potuit, vtrum ex particula *am*, quae *circum* notat, an ex praepositione *ante* enata sit prior syllaba: quandoquidem & ante, quam reus ad Praetoris tribunal rapiatur, & in circumstantes exerceatur antestatio. Vtrique sententiae patrocinium non defuit, quin illud potius tanto feruore in se receperunt viri doctissimi, vt pro aris & focis ipsis dimicandum esse crederes 14). Tutissima ingrediuntur via, qui vtrique deriuationi suum honorem habentes, magnam inesse veri

veri speciem fatentur, FRIDERICVS BRVMMERVS 15), ANTON. SCHVLTINGIVS 16), EV. OTTO 17), ANDR. DACERIVS 18.) aliique

1) Est hoc iudicium LILII GREGORII GYRALDI in *variis crit.* dialogism. VIIII. Opp. T. II. p. 881. E. ed. Jensian. Peculiare est, quod de hoc verbo adnotauit PRISCIANVS grammat. L. VIII. inter *Grammaticae latinae auctores veteres* ab ELIA PVTSCHIO Hanouiae CIↃIↃCV. 4. editos p. 791. l. 8. illud nempe & *actiuam* & *passiuam* significationem recipere, quod vt probet, ad verba LIVII, non historiarum conditoris, sed ANDRONICI poetae, ceu contra MARCILIVM euicit Ampl. EV. OTTO in praef. T. III thes. iur. Ro p. 26. prouocat, vbi: *Impubes libripens esse non potest neque* ANTESTARI, i. e. vocari in testimonium. conf. CL. SALMASIVS in miscellis defens. pro se de variis obseru. ad ius Att. & Ro. pertinent. c. 30. p. 814. VOSSIVS de arte gramm. V. c. 6. Opp. T. II. p. 278. Fuere tamen inter aeui recentioris criticos, qui Priscianum non bene putasse omnia, existimarunt, DIONYSIVS LAMBINVS ad Horatii serm. L. 1. Sat. 9. v. 76 p. 105. FRIDER. BRVMMERVS in comm. ad Legem Cinciam c. 13. p. 195. edit Paris. ANT. SCHVLTINGIVS in Iurispr. anteiustin. ad *Caii* inst. L. 1. tit. 6. § 3. p. 58

2) Ita GLOSSAE VETERES a CAROLO LABBEO collectae & Lutetiae CIↃIↃCLXXIX. editae p. 13. Κλητεύειν accuratius esse conuertendum existimat GVIL. BVDAEVS annot. poster. ad pand. p. m. 298. D

3) Gramm. L. VIII. p. 792. l. 10. conf. SCHOL. THVCYD. ad L. VI. c. 29. p. 395. edit. Ducker

4) In obseruat. ad Ius Att. & Rom. c. 30. p. 514

5) Ad CAIUM L. I. tit. 6. §. 3. p. 58. ed. Schulting

6) In praefat. T. III. thes. iur. Rom. p. 26

7) In parerg. ad pand. L. 1. c. 25. ap. EVER. OTTONEM thes. iur. Rom. T. IV. p. 1399.

8) Vtrumque ambiguitatem facit. ANTISTARE ii dicuntur, qui aliqua ratione reliquis praestantiores sunt hominibus v. AMMIANVS MARCELL. L. XX. c. 7. p. 211. sq. 218 APVLEIVS metam. L. VIII. p. 314. SYMMACHVS L. I. ep. 31. RITTERSHVSIVS ad Salnianum n. 476. p. 146. ROBERTVS AINSWORTHVS in the dictionary of the Latin tongue Londini CIↃIↃCCXXXV. 4. edito. v. *Antestare*. ATTESTARI illorum est, qui aliquem dignitate vel auctoritate eminentem vocant ad testimonium. v. BEDA de orthograph. inter *Grammaticos veteres ab* ELIA PVTSCHIO iunctim editos p. 1347. Eaque significatione accipiendus videtur CICERO in orat. pro Milone c. 25. „*Nae iste haud dubitans* „*cessisset patria, is qui ita natus est & ita consueuit: te, Magne, tamen* ATTESTA„RETVR, *quod nunc etiam facit.*" Tum tantis non opus erit molestiis, quas sine necessitate crearunt sibi FVLV. VRSINVS & FRA. FABRITIVS in notis ad h. l. 57. 58. T. II. p. 1004. ed. ab IS. VERBVRGIO Amstel. CIↃIↃCCXXXV. in publicam emissae lucem. Tum felicius succedet conuersio, quam disertissimo eiusce causarum in Senatu Galliae patrono, GILLETO. v Playdoyers & autres oeuvres de Mr. GILLET, quae Parisiis CIↃIↃCCXVI. 4. prodierunt, p. 420. Dissentit tamen vir magni nominis HADR. TVRNEBVS aduers. L. XXVIIII. c. 24. p. 641. a.

9) De verb. signif. v. AM L. I. p. 22. edit. Dacer

10) De manumiss. seruorum apud Rom. L. I. c. 9 §. 2. p. 22

11) Ad STATII thebaid. L. V. v. 520. T. III. p. 255

12) Saturnal. L. I. c. 14. p. 211. edit. Pontan. Quid, quod in notis suis Romani *antestationis* vocem per ANST. expresserunt, ceu post VALER. PROBVM docet SERT. VRSATVS de notis Rom. ap. GRAEVIVM th. ant. Ro. T. XI. p. 549. D.

13) Parerg. L. II. c. 20. p. 115. 116

14) Illam veritati consentaneam, quouis pignore contendit magnus vir, CL. SALMASIVS in miscellis desens. de obseruat. ad ius Atticum & Rom. pertinentibus c. 30. p. 814. „AMTESTARI, inquit, *est in re praesenti & in loco, vbi res gesta est aut gerenda,* „*testem facere, proximum nempe, qui vel adstat, vel obuiam venit in loco, vbi id fit,* „*ad quod testis capitur.* *Sic* AMTERMINI, *qui accolunt terminos,* AMSEGETES, „*quorum ager viam tangit,* AMSANCTAE, *quae in circuitu sunt valles sanctae.*" Hanc solam probant & tuentur IAC. CVIACIVS observ. VII. c. 16. p. m. 282. VLR. HVBERVS in praelect. iur. ciu. ad Inst. L. IV. tit. XVI. §. 5. p. 559. a. GVIDO PANCIROLLVS in thes. var. lect. L. I. c. 33. p. 53. LAEV. TORRENTIVS ad Horatii serm. I. sat. 9. v. 76. p. 504. reiiciente eandem GER. IO. VOSSIO etymolog. v. *testis* opp. T. I. p. 598

15) In comment. ad Legem Cinciam c. 14. p. 223

16) In iurisprud. anteiustin. p. 58

17) De iurisprud. Symbolica Exerc. II. c. 3. p 142

18) Dans les remarques historiques & critiques sur les poesies d'HORACE T. VI. p. 551

§. II

Ex his, quae hactenus de etymologia *antestationis* disputauimus, solidior facile concinnanda erit finitio. Indicatur autem hoc nomine *ritus solennis, quo quis alium in re praesenti adstantem vel obuiam factum volentemque tacta auricula ad testandum id, quod percepit sensibus, negotium obstringit.* Antiquissimis Romanae reip. temporibus frequentior fuit & duplex inprimis *antestationis* vsus, quum aut mancipatione solemni dominium rei alicuius in emptorem transferendum aut vadatus contumax in ius rapiendus esset. Nos dum veremur, ne vltra constitutos terminos nostra excrescat scriptio, illam modo attingimus in praesenti, quam impositam habebant actores in ius rapturi, antestandi necessitatem 1). More scil. receptum erat apud Romanos veteres, vt actori, si reum tentata prius amica per amicos compositione, quodam postulationis die obuium sibi deprehenderet, ius foret ipsum priuata auctoritate, nullo accedente iudicis decreto, ad Praetoris tribunal euocandi, conceptaque citandi formula 2). Quodsi reus aut sequi nollet, aut saltim moraretur, obtorto collo in ius rapi trahiue poterat, modo actor vnum e praesentibus antea fuisset *antestatus* 2). Hoc consilio saluberrimo libidini ac saeuitiae actorum frenum iniicere prudentia legislatorum voluit, ne libere nimis ac sine iusta causa improbas miseris manus ante iniicerent, quam testem

de causae suae iustitia nacti fuissent, ceu adnotarunt sagacissimi viri, IACOBVS RAEVARDVS 3) atque CAROLVS BRETVS 4)

1) Scilicet tantis hoc antiquitatis iuridicae caput inuolutum est tenebris, ut maxima etiam ingenia ex iis sese expedire nequiuerint angustiis. CAIVS, dum instit. L. I. tit. 6. §. 3. emancipationis vetustae solemnia recenset, praeter testes quinque ciues Romanos & libripendem, alium, qui *antestatus* dicitur, interfuisse scribit, quem a THEOPHILO §. 6. I. quibus mod. patr. pot. solv. *μάρτυς τινὰ*, a CONSTANTINO autem l. 2. fin. C. de his, qui in eccles. manum: *iuris testem* vocari auctor est A. ALCIATVS parerg. II c. 20. p. m. 116 Quam vero personam in mancipationibus egerit antestatus, non satis constat inter eruditos. Non est huius loci, varias & fere innumeras criticorum recensere sententias. v. GRVTERVS thes. inscr. p. MLXXXI. ANT. AVGVSTINVS in explanat. LL. XII. tabb. §. 52. apud GRAEVIVM th. ant. Rom. T. II. p. 1322. sq. IAC. CVIACIVS observ. VII. c. 16. HADR. TVRNEBVS advers. XXVIIII. c. 14. BARN. BRISSONIVS de V. S. v. *Antestatus*. EDM. MERILLIVS obs. VIII. c. 37. IAC. GVTHERIVS de iure vet. pontif. L. II. c. 6. ANDR. ALCIATVS parerg. III. c. 11. p. 181. FRID. BRVMMERVS ad Legem Cinciam c. 13. p. 193. sqq. IAC. OISELIVS, HIER. ALBANDER & ANT. SCHVLTINGIVS ad Caii l. c. in Iurisprud Antei. p. 58. not. 46. 47. EVER. OTTO de iurispr. Symbol. Ex. II. c. 3. p. 142. IH. HEINECCIVS synt ant. Ro. L. I. tit. 12. §. 7. T. I. p 160.

2) Legi meretur insignis locus ap. CLEMENTEM ALEXANDR. Strom. L. V. c. 8. p. 679. edit. Io Potteri. Conf. GER. IO. VOSSIUS in etymol. v. *Testis* p. 598. P. IO. HARDVINVS not. ad PLINII hist. nat. XI. c. 45 Sect. 103. T. I. p. 619. AND. DACERIVS dans les rem histor. & critiques sur les Oeuvres d' HORACE L. I. sat. IX. v. 74. T. VI. p. 551. seq. GER. NOODTIVS ad pand. L. II tit 4. opp. T. II. p. 53. GVIL. HENR. NIEVPOORTVS In explicat. rituum, qui ap. Romanos obtinuere Sect. III. c. 1. §. 1. p. 191 sq. CHRIST. CELLARIVS in diss. inaug. de processu iuris Romani antiquo, sub praesidio IO. SAM. STRYCKII habita Halae 1698. post a. 1705. cum variis accessionibus recusa c. 3. p. 20, 21. COEL. CALCAGNINVS ad tit. π. de V. S. p. 361

3) Ad LL. XII. tabb. c. 5. Opp. T. I. p. 27. edit. Wechel.

4) De ordine antiquo iudiciorum ciuilium ap. Rom. c. 19. ap. SALLENGRIVM thes. ant. Rom. T. II. p. 1103. A.

§. III 140

Quemadmodum vero pleraque gentis togatae instituta ex Atheniensium vrbe, ceu ex communi omnis sapientiae patria, suam trahunt originem, ita & *antestatio* inde natales suos repetit. Habebant Athenis ii, qui alium in ius essent vocaturi, κλητῆρες siue κλήτορες, δι' ὧν εἰς τὰς δίκας προσκαλῶνται οἱ δικαζόμενοι. Id vno ore loquuntur HARPOCRATION 1), SVIDAS 2), VLPIANVS 3), MAGNIque AVCTOR ETYMOLOGICI 4). Magna quidem de hoc grammaticorum principum effato enata inter CL. SALMASIVM & DES. KAL-

HERALDVM contentio. Quum enim ille 5) nomine τῶν κλητήρων genus quoddam apparitorum, qui reos ad iudicis tribunal rapiebant, putaret indicari, hic, vt erat SALMASIO infensissimus, dedit operam, vt laudatam mox a me opinionem omnium exponeret ludibrio 6). Nouam ideo hanc exhibuit conuersionem: κλητῆρες *viri sunt*, CORAM *quibus is, qui litem mouebat, aduersarium in ius vocat*. Negari etiam nequit, in verbis, quae sequuntur, ἔδει γὰρ παρεῖναί τινας, ὥσπερ μάρτυρας τῆς προκλήσεως eximium latere munimentum ad firmandam V.C. sententiam. Ille tamen mihi haeret scrupulus, an praepositio διὰ vnquam apud castos Graeciae scriptores eam sortita sit, quam indicauit HERALDVS, notionem 7). Nec placet, nec iuuat, latius in praesenti hanc tractare quaestionem 8). Clariora adsunt, quae testes Athenis ab in ius vocantibus adhibitos satis superque euincunt, testimonia. Praetereo locum PLATONIS 9), in quo legislatoris iunioris curae numerum τῶν κλητέρων relinquit definiendum. Ad ipsam potius accusationem prouoco, quam iudicum conseſsui contra perpetuum patriae suae decus, Demosthenem, obtulit infensus tanto nomini Aeschines, in qua κλήτορες subscripsisse leguntur Κηφισοφῶν Κηφισοφῶντος Ῥαμνούσιος & Κλέων Κλέωνος Κοθωκίδης 10). Apud ARISTOPHANEM 11), veteris principem comediae, Strepsiades Socrati, φέρε, ἰδω, τί δρᾷς, ἤν τίς σε τύπτῃ; interroganti, statim respondet:

Τύπτομαι.
Κἄπειτ' ἐπισχὼν ὀλίγον ΕΠΙΜΑΡΤΥΡΟΜΑΙ,
Εἶτ' αὖθις ἀκαρῆ διαλιπὼν, δικάζομαι.

Vapulo
Et statim post antestor,
Et iterum momento post litigo.

Apud EVNDEM Artopolis, antequam Senecionem, qui vino madidus panes deiecerat, Chaerephontem κλητῆρα appellat 12), idemque & alii faciunt, quibus ebrius senex nocuerat, vt tandem κλητῆρες prius quam accusatores deficerent 13). Hinc Bdelycleon, domum abducens patrem, ait 14):

Εἴσω φέρω σ' ἐντεῦθεν, εἰ δὲ μὴ, τάχα
Κλητῆρες ἐπιλείψουσι τοὺς καλουμένους.

Quid,

Quid, quod HESYCHIVS 15) aliquam iniuriarum actionem, τῆς ἀπροσκλήτου δίκης nomine venientem, commemorat, iis a legibus concessam, qui testimonio κλητήρων non adhibito ad iudicis tribunal rapti fuerant. Num vero actores in Graecia aurem testis sui tetigerint, non satis constat. Sunt tamen bina, quae veri efficiunt similitudinem, argumenta. MAGNI compilator ETYMOLOGICI, vbi λοβὸ nomine κυρίως τῶν ὤτων τὸ κάτω venire indicasset, subiungit: λοβοὶ λέγονται, ἐπειδὴ μαρτυρόμενοι τινὶ λαμβανόμεθα αὐτῶν. εἰ δὲ, ὅτι λωβώμενοί τινες ἀπετέμνοντο ταῦτα τὰ μέρη 16). Quodsi ergo Athenienses in quauis ad testimonium dicendum inuitatione auris tactum necessarium existimauerunt, cur non & illum ab in ius vocantibus obseruatum fuisse credamus? Accedit, quod Romani, quum omnem *antestationis* solemnitatem a Graiis acceperint, inde & auris vellicationem accersisse videantur

1) In Lexico X. orat v. κλητῆρες p. 217. edit. Blancard. Cf. HENR. VALESIVS in not. ad h. l. p 46

2) Lex. h. v. T. II. p. 335. edit, Kuster.

3) In enarrat. ad DEMOSTHENIS or. in Midiam p. 172. B. edit. Wolfian.

4) Sub h. v. p. 552. l. 19. seqq. edit. a SYLBVRGIO CIↃIↃXCIIII. fol. curatae

5) In defens. miscellis de obseru. ad ius Att. & Rom. pertinentibus c. 30. p. 858

6) In animadu. in SALMASII obseru. ad ius Att. & Rom. L. VI. c. 12. §. 19. 20. 22. p. 473. 474

7) Facit tamen aliquam veri speciem locus PAVLI Apostoli GALAT. III. 19. si iungas ACTOR. VII. 53. add. 2 TIM. II. 2. conf. Plur. Reu. idemque amicissimus nobis CHR. WOLLIVS in exam. reg. Herm. Calmeti p. 77. seq.

8) Alias facillimum foret demonstrare, κλητῆρα & testem in ius vocationis notare & apparitorem. Idque sibi voluisse videntur grammatici. add. IVLIVS POLLVX onom. L. VIII. c. 6. segm 49. T. II. p 883. edit. Hemsterhuis. SCHOLIASTES ARISTOPHANIS ad Vespas v. 1399. p. 326. edit. Kuster. PHAVORINVS dict. magn. v. κλητῆρες p. 433. ed. Venet. Cf. GVIL. POSTELLVS de magistr. Ath. c. 27. ap. GRONOV. T. V. p. 1353. SAM. PETITVS ad LL. Atticas p. 314. sq.

9) De Legibus L. VIII. p. 917 B

10) In orat. pro corona p. 380. C

11) In νεφέλαις v. 494. 495. add. similis fere locus in *auibus* v. 1032. conf. EZECH. SPANHEMIVS in notis ad Aristoph. p. 284

12) In vesp. v. 1399.

13) Ibid. v. 1407. 1427. 1428

14) Ibid. v. 1445. seq. conf. SCHOLIASTES ad h. l. p. 327

15) in Lexico p. 154. edit. Schreuel. ἀπρόσκλητος δίκη ἡ μὴ τυχοῦσα τῶν καλούντων κλητήρων κατὰ τὸν νόμον, καὶ διὰ τοῦτο ἂν ἦν ἀπαγόρευσις. conf. SVIDAS T. I. p. 205. PHAVORINVS v. ἀπρόσκλητος p. 113.

16) v. λοβοί p. 569. vs. 14. seqq.

§. IV

§. IV

Originem *anteſtationis* apud Quirites iſtae dederunt leges, quas Decemuiri populo iubente in Graecia deſcripſerunt. Tanti vero momenti habita fuit iſta ſanctio, vt a ſapientiſſima gente in primam legum ſuarum referretur tabulam, ceu ex A. GELLIO 1) colligimus. Non contigit aetati noſtrae ita eſſe felici, ut ſingula illius verba ſalua teneret & incorrupta. Interim in eo vehementer laborarunt artis criticae magiſtri, vt legem ſemiſepultam & a vetuſtate penitus exeſam, felicis ope ingenii, reſtituerent. At enim vero, nimium dexteritati ſuae fidentes, varias & ſaepe inconditas adoptarunt opiniones 2). Arduum eſt & difficile, certi quidquam in rebus eiusmodi definire. Perplacuit tamen IACOBI GOTHOFREDI 3), quo neſcio an quis felicioribus auſpiciis negotium aggreſſus ſit, diuinatio: SI. IN. IVS. VOCAT. ATQVE. (i.e. ſtatim, extemplo) EAT. NI. IT. ANTESTAMINO. IGITVR. EM. CAPITO. SI. CALVITVR. PEDEMVE. STRVIT. MANVM. ENDOIACITO

1) Noct. Attic. L. XX. c. 1. p. 865. edit. Gronou.

2) Nimis prolixum foret, omnes ludentis ingenii variationes ſigillatim perſequi. Eas tamen adducam, quas principes humanioris iurisprudentiae antiſtites protulere in medium, coniecturas. Omnes in corruptis reliquiis, quae veteres HORATII commentatores, ACRON & PORPHYRIUS, ſeruarunt, diuinationis ſuae collocant fundamentum. Nemo reſtitutionem ſiniſterioribus auſpiciis aggreſſus eſt, HVB. GIPHANIO in indice Lucretii v. *Anteſtor*. SI. IN IVS. VOCAT. NI. TE. ANTESTANTEM. SEQVITVR. EM. CAPITO. Non enim ille capiendus eſt, qui in ius vocat, ſed qui vocatus ſequi detrectat. Nodum in ſcirpo quaerunt et ii, qui obſcura Legis verba aeque obſcuris reddere conantur. Accuſandus eo nomine ANT. CONTIVS in collect. XII. tabb. inter Opp. ab E. MERILLIO Pariſiis CIↃ IↃCXVI. 4. edita p. 875. SI. IN. IVS. VOCATVS. TESTAMINI. IGITVR. EN. CAPITO. ANTESTARI. Nec abſoluendus ab eo crimine FRA. HOTTOMANNVS ant. Rom. L. III. c. 3. Opp. T. III. p. 475. D. SI. IVS. VOCATIONI. TESTAMINI. IGITVR. EN. CAPITO. ANTESTARI. Quam tamen lectionem amplexus eſt IAC. RAEVARDVS comm. ad LL. XII. tabb. c. 5. Opp. T. I. p. 25. ed. Wechel. niſi quod pro voce IVS reponat VIS. IO. HARDVINVS ad PLINII hiſt nat. L. XI. c. 45. T. I. p. 639. not. 4. ſicut in omnibus fere rebus nouum quid & inauditum affectat, ita & hic tricas tricis, tenebras tenebris augere nullus dubitauit. Legit enim: SI. IN. IVS. VOCATIO. FVAT. ANTESTAMINO. I. F. AVREM CAPITO ANTESTATI. FVLV. VRSINVS in notis ad ANT. AVGVSTINI lib. de LL. & SC. apud GRAEVIVM th. ant. rom. T. II. p. 1350.

p. 1350. reponit: SEI. IN. IOVS. VOCAT. NEI. EAT. STATIM. ENCAPITO. ANTESTARIER. Obsolete satis, si satis bene. DIONYS. LAMBINVS ad Horatii L. I. sat. VIIII. v. 76. p. 105. simile aliquid comminiscitur: SI. IN. IVS. VOCAT. NEI. IT. ANTESTATVS. EM. CAPITO. HADR. TURNEBVS aduers. XIII. c. 26. T. II. fol. 20. p. 2. edit. Parisiis CIↃ IↃCXV. 4. typis descriptae & XXIX. c. 14. p. 641. edit. Aureliop. verba legis ita concipit: SI. IN. IVS. VOCAT. NI. IT. ANTESTATVS. MANVM. INIICITO. AVREM. ANTESTATI. CAPITO. Consentit fere IAC. CVIACIVS obseru. VII. c. 16. SI. IN. IVS. VOCAT. NI. EAT. MANVM. INIICITO. ENCAPITO. ANTESTARI, atque CAROLVS SIGONIVS de iudiciis L. I. c. 18. apud GRAEVIVM thes. ant. Rom. T. II. p. 1706. E. F. SI. IN. IVS. VOCAT. ATQVE. (i. e. statim) EAT. NI. STATIM. EAT. ENCAPITO. ANTESTARI. Planiorem emendandi suasit IVSTVS LIPSIVS epist. quaest. IV. 26. Opp. T. I p. 267. a. rationem, quam & CAROLVS BRETVS de ordine antiquo iudicior. ciuil. c. 19. ap. SALLENGRIVM thes. ant. Rom. T. II. p. 1102. adoptauit: SI. VIS. VOCATIONI. FVAT. ANTESTAMINOR. NI. IT. AVREM. CAPITO. ANTESTATI. Ad veritatem accedit proxime coniectura, quae post THEOD. MARCILIVM in interpretam. legum XII. tabb. ap. OTTONEM thes. iur. Rom. T. IV. p. 222. SAM. PETITO in comm. ad LL. Atticas L. IV. tit. 2. p. 315. & LVDOV. CARRIONI emend. L. II. c. 12. ap. GRVTERVM thes. crit. T. III. p. 161. in mentem venit: SI. IN. IVS. VOCAT. NEI. IT. ANTISTATOR. IGITVR. IM. CAPITO.

3) In IV. fontibus iuris ciu. ap. EV. OTTONEM thes. iur. Rom T. III. p. 27. *Antestamino* pro antestare positum est, quod veteribus non incognitum, idem GOTHOFREDVS in notis probat p. 195

§. V

Ritum *antestationis* nemo vberius & accuratius descripsit poeta Venusino 1), cui quum forte per viam sacram cum garrulo quodam diis hominibusque inuiso ambularet, aures vellicauit factus obuiam sodalis aduersarius.

Casu venit obuius illi 142
Aduersarius, &: quo tu turpissime? magna
Exclamat voce: & LICET ANTESTARI? *Ego vero*
OPPONO AVRICVLAM. *rapit in ius. clamor vtrinque*
Vndique concursus. Sic me seruauit Apollo.

Scilicet, si actor aliquis reum vel ex contractu vel ex delicto sibimet obligatum in ius vocasset, nec ab eo, vt sequeretur, impetrasset, tum rapere sublimem obtortoque poterat collo; antea autem opus erat, vt testis, quem vel ex composito huc adduxerat, quem

que *aduocatum* veteres appellant comici 2), vel ex media turba populi sursum deorsumque hinc inde decurrentis elegerat, aurem tangeret, eumque, vt memor esset huius rei, admoneret. Neque enim adduci potero, vt in opinionem IAC. GVTHERII 3) concedam, nulla auctorum veterum auctoritate corroboratam, qua eos solum reos, qui ex delicto priuato tenebantur, in ius praeuia *antestatione* rapi potuisse putat, non aeque eos, qui ex contractu vel quasi peccantes ad reorum conditionem peruenerant. Atque haec in prima statim ad praetoris tribunal prouocatione obtinebant omnia, vt adeo in errore versetur DACERIVS 4), qui tum demum *antestatione* & insecuta rei abnuentis apprehensione vsos actores autumat, quum reus iam antea fuisset vadatus & contumax vadimonium deseruisset. *Antestatio* exerceri in quemuis poterat e populo, modo liber esset, & antea consensum suum antestaturo publice declarasset. Libertatis necessitatem exinde colligo, quod homini libero atteri aures inter antestandum, memoriae PLAVTVS 5) prodidit. Accedit, mancipii testimonium Romae in foro nunquam, nisi per tormenta expressum valuisse 6). Illud vero, quod de consensu diximus, omni caret dubio. Anteaquam enim antestandi perficeretur solennitas, antestaturus consueta formula, LICETNE ANTESTARI, animi sensa amico declarabat, cui & annuendi & abnuendi liberum erat arbitrium. Qui recipere in se antestati officium volebat, vel expressum vocula LICET consensum indicabat, vel tacite, opposita nempe auricula, vt HORATIVS, se non refragaturum, profitebatur: quanquam & verborum solenni carmine & oblatione auris simul opus fuisse, credat THEOD. MARCILIVS 7). Contra vero si quis testimonium dicere detrectaret, vnico verbulo: NON LICET, totum explicabat negotium 8). Affirmatione semel facta, antestatione obstrictus testimonium postea defugere & in iudicio ignorantiam profiteri non poterat, ni improbus intestabilisque vellet fieri. Ita enim lex XII. tabb. apud GELLIVM 9), quam veterum ope librorum restituit CLAVDIVS SALMASIVS 10), expresse sanxit: QVI. SE. AM. SIRIT. TESTARIER. LIBRIPENSVE FIERI. NI. TESTIMONIVM. FARI. IATVR. IMPROBVS INTESTABILISQVE. ESTO. Non placet IACOBI GRONOVII 11) opinio, qui loco AM ternarium substituere mauult numerum

rum & post tertiam demum antestationem obstrictam solui non posse fidem arbitratur. Vnde enim vocula AM petenda erit, quae, si sanus esse sensus debeat, vix ac ne vix quidem poterit desiderari. Similem te[illegible] & alius XII. tabb. locus commode recipit interpretationem: QVI. TESTIMONIVM. (sc. post praeuiam antestationem) DEFVGERIT. IS. TERTIIS. DIEBVS. OB. PORTVM. OBVAGVLATVM. ITO 12)

1) Sermon. L. I. Sat. VIIII. v. 74. seqq. Conf. IANVS GRVTERVS suspic. VII. c. 13. FRA. MODIVS lect. nou. ant. epist. XVII. 6. s in GRVT. lamp. crit. T. V. p. 44. FRA. POLLETVS histor. fori Ro. L. V. c. 1. p. 404. sq. Cur Apollini potissimum seruatus in hisce turbis HORATIVS deuotissimas grates persoluerit, difficilis interpretibus res visa est. v. AND. DACERIVS dans ses remarques histor. & critiques T. VI. p. 554. FRA. LVISINVS parerg. L. III. c. 16. in Lamp. crit. T. III. p. 489

2) Hanc opinionem iam olim ventilauit THEOD. MARCILIVS in interpretam. LL. XII. tabb. ap. EV. OTTONEM thes. iur. Ro. T. IV. p. 230. *aduocatos* esse, qui vocantur ab actore ad antestationem: hos, si iam testes facti sint, *antestatos*, in iudicio autem *testes* appellari. Consentiunt GYRALDVS in var. crit. dial. VIIII. Opp. T. II. p. 281. C. VLR. HVBERVS in praelect. Iur. ciu. ad. Inst. IIII. tit. 16. §. 5. p. 559. a. DES. HERALDVS de rerum iudic. auctor. L. I. c. 6. n. 7. ap. OTTONEM T. II. p. 1108. & FRA. POLLETVS in hist. fori Ro. L. V. c. 1. p. 403. Haesisse interdum *aduocatorum* cognomen etiam inter ipsa antestationis solennia, colligeres ex PLAVTI Poenulo A. III. Sc. 5. v. 22. add. LIVIVS hist. III. c. 44. T. I. p. 283. sq. edit. Gronou.

3) De iure manium L. III. c. 24. ap. GRAEVIVM th. ant. Rom. T. XII. p. 1316. A

4) Dans les remarques sur HORACE T. VI. p. 551. seq.

5) In Persa A. IV. Sc. 1. v. 11. Idem & aliis confirmat eiusdem Comici locus in Curcul. A. V. Sc. 2. v. 25. 26. conf. IAC. RAEVARDVS ad LL. XII. tabb. c. 5. Opp. T. I. p. 27.

6) Id praeter alios probant DES. HERALDVS animadu. in Salmasii obseru. ad ius Att. & Rom. L. VI. c. 14. §. 16. 17. p. 485. Ill. HEINECCIVS in antiqu. Rom. ad inst. L. IV. tit. 18. §. 25. T. II. p. 532. sq.

7) Interpr. LL. XII. tabb. ap. EV. OTTONEM T. IV. p. 230. add. BARN. BRISSONIVS de form. L. V. c. 2. p. 446. edit. Conrad.

8) PLAVTVS Curcul. A. V. Sc. 2. v. 23. cf. MARCILIVS l. c. [illegible]

9) Noct. Attic. L. XV. c. 13

10) In defens. miscellis de obseruatt. ad ius Att. & Rom. c. 30. p. 815. 816. Consentit IAC. OISELIVS ad GELLIVM p. m. 684

11) In notis ad GELLII l. c. p. 685

12) v. SALMASIVS l. c.

§. VI

§. VI

Perfecto per consensum mutuum contractu, accedebat iam solennis illa & decantata auris contrectatio, quam saepius iterum tertioque factam TH. MARCILIVS 1) & LILIVS GREGORIVS GYRALDVS 2) asserunt, solido destituti, ni fallor, fundamento, nisi forte repudiata a nobis superiori §. IACOBI GRONOVII diuinatio, qua ipsa XII. tabularum sanctio ternam requirit vellicationem, iam in mentem venit duumuiris celeberrimis. *Aurem vellere* ab antiquissimis inde temporibus ii solebant, qui alteri negotii alicuius memoriam de meliori nota commendabant. Apud VIRGILIVM 3):

Cynthius AVREM
VELLIT *& admonuit*,

vt alia SENECAE 4) VALERIIque MAXIMI 5) loca studio breuitatis taceam. Rationem consuetudinis in religiosa ethnicorum superstitione abditam deprehendo, quae, quum in aure ima locum memoriae principem conspiceret 6), eandem memoriae Deae voluit esse consecratam 7). Tactui verborum accedebat solemnitas. Qui antestabatur, testibus ACRONE & PORPHYRIO interpretibus Venusini 8), MEMENTO. aiebat, QVOD. IN. ILLA. CAVSA MIHI. TESTIS. ERIS rogatus vero MEMINI respondebat eoque totum perficiebat negotium. Formulas PLAVTVS 9) seruauit nobis, apud quem mercator Leonidam in ius vocans, *antestatur* praesentem quendam amicum, nescio quem, & vocatum in ius NON IS? alloquitur, tertium vero illum solenni voce MEMENTO ad dicendum hortatur testimonium, qui respondet: MEMINI, prout locum multis obscurum variisque inuolutum tenebris interpretatus est vir doctus, quem semel atque iterum iam excitaui, TH. MARCILIVS 10). Idem bina confecta ex onyche amuleta probant, quae manus aurem tangentis imaginem cum vocula: ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ prae se ferunt, quaeque in gazophylaceo GVIDONIS LAVRINI oculis usurparunt IVSTVS LIPSIVS 11) & IACOBVS SPONIVS 12): nec non numi aerei, quorum inspiciendorum copiam nactus est M. ANTONIVS MVRETVS 13). At ideo tamen nequaquam persuademus nobis, eos, qui de apprehensione aurium iniecerunt mentionem, omnes ad antestationis ritum allusisse. Vix ergo mirari satis

potui,

potui, TVSSANVM de la RVE 14) & noſtra demum aetate EV. OTTONEM 15) in TREBATII dicterio, quod VLPIANVS 16) retulit: *Nam & qui aurem alicuius tetigit, totum videtur tetigiſſe*, ve- ·· ere illius ritus ſignificationem. Loquitur VLPIANVS de furto illae partis ex aceruo frumenti ablatae, quaeſtionemque, an pro fure totius acerui habendus ſit? paulo examinat vberius. A- ientem ſententiam Ofilius Stoae ſequutus placita defenderat, inque ſuas partes illud traxerat TREBATII, qua is, qui aurem ſeu membrum hominis quodcunque tetigit, totum creditur tetigiſſe hominem. Ridet hanc opinionem DOMITIVS, quum ſingulae acerui partes commode ſeparari queant,. membris humani corporis arcto connexis vinculo & ita cohaerentibus, vt vnica vel minima parte violata reliquum corpus ſaluum & incorruptum eſſe nequeat 17)

1) Ad LL. XII. tabb. p. 230
2) In Var. crit. dial. IX. Opp. T. II. p. 881. C.
3) Bucol. ecl. VI. v. 3. 4. Vix adduci poſſum, vt credam, vatem Quiritium principem his verbis anteſtationis ritum reſpexiſſe, ceu affirmarunt BRODAEVS miſcell. V. c. 36. in theſ. crit. T. II. p. 550. & auctoritate IACOBI SVSII RAEVARDVS ad LL. XII. tabb. c. 5. Opp. T. I. p. 26
4) De beneſic. IV. c. 36. V. c. 7. Epiſt. XCIIII
5) De factis dictisque memorab. L. I. c. 5. n. 8. p. 53. edit. Torren. add. FRA. MODIVS lect. nouantiqu. epiſt. XVII. §. 5. ap. GRVTERVM theſ. crit. T. V. p 44
6) PLINIVS hiſtor. nat XI. c. 45. ſect. 103. T. I. p. 639. Eſt in aure ima memoriae ſedes, quam tangentes anteſtamur
7) SERVIVS ad Virgilii ecl. VI. v. 3. T. I. p. 56. edit. Maſuic. PIERIVS VALERIANVS hieroglyph. L. XXXIII. c. 35. p. 338. H. GVIDO PANCIROLLVS var. lect. I. c. 33. p. 53. & L. III. c. 22. p. 477. ſq. ANT. AVGVSTINVS explan. Legum XII. tabb. § 52. ap. GRAEVIVM theſ. ant. Ro. T. II. p. 1322. E F. G. OBRECHTVS in exercit. iur. ant. p. 16. GYRALDVS in hiſt. deor. ſynt. I Opp. T. I p. 16. A. CHRISTOPH. CELLARIVS in diſſ. de proceſſu iuris Rom. antiquo c. 3. n. 9. p. 21. HADRIANVS IVNIVS animadu. IV. c. 12. in GRVTERI th. crit. T. IV. p 416. CASP. BARTHOLINVS de inaurium vſu apud veteres c. 5. p. 78. IOS. LAVRENTIVS de Oſculis c. 3. ap. GRONOV. T. VIII. p. 2444. C.
8) Ad Serm. L. I. Sat. VIIII. v. 78. p. 303. ſq. edit. Baxter. conf. POLLETVS hiſt. fori Ro. L. V. c. 1. p. 404. ſq. Ill. HEINECCIVS in antiq. Rom. ad Inſt. L. 1. tit. 12. §. 7. T. I. p. 180.
9) In Aſinar. A. II. Sc. 4. v. 74. add. Id. in Poenulo A. III. ſc. 5. v. 22. 144
10) Interpret. XII. tabb. ap. OTTONEM T. IV. p. 230.
11) epiſtol. quaeſt. L. IV. ep. 26. Opp. T. V. p. 267.
12) In miſcellan. erud. antiqu. Sect. VIIII. p. 297. ſeqq. conf. RAEVARDVS ad XII tabb. c. 5. opp. T. I. p. 26.
13) Var. lection. XII. c. 5. ap. GRVTERVM th. crit. T. II. p. 1087.
14) In amoen. obſeru. iurid. dec. 1. c. 9. ap. EV. OTTONEM in th. iur. Rom. T. V. p. 1500

15) De iurisprud symbol Exerc. II. c. 3. p. 143 144
16) Lib XL. ad Sabinum in l. 21. pr. ff. de furtis
17) Quapropter nec opinio IANI LANGLAEI semestr. X. c. 2. p. 645. B. habebit locum, qui ad poenam abscissionis aurium allusisse Trebatium, illamque totius internecioni hominis aequalem existimasse contendit

§. VII

Necessariam fuisse in ius rapturis antestationem; ex iis patet, quae iam superius dicere occupauimus. Verum tam rigidi eius moris custodes fuere veteres, vt in negligentes peculiarem proderent iniuriarum actionem. Hanc Phormio apud TERENTIVM 1) Demiphonti, qui ipsum in ius vocarat, & nunc in eo erat, vt per seruos trahi iuberet miserum, ira & furore percitus minatur. Recitabo verba comici:

DE. *In ius eamus.* PH. *In ius? huc, si quid lubet*
DE. *Adsequere ac retine* (Chremetem alloquitur) *dum ego huc seruos euoco*
CHR. *Etenim solus nequeo, accurre huc.* PH. *Vna* INIVRIA *est Tecum.* DE. *Lege agito ergo.*

Vehementer falluntur ii poetae Afri editores, qui vltima verba, *Lege agito ergo*, Chremeti tribuunt, cui in sequentibus demum verbis Phormio idem denuntiat, quemadmodum adnotauit interpretum facile princeps, ARNOLDVS HENR. WESTERHOVIVS 2). Forte ad eandem iniuriarum actionem referenda est Cappadocis, PLAVTINI lenonis exclamatio 3):

Proh Deum atque hominum fidem,
Hoccine pacto indemnatum atque INATTESTATVM *me abripi!*

Fuere tamen non pauci, sed de vltima faece plebis homines, qui etiam sine teste ad tribunal praetoris rapi poterant, adeoque indigni habebantur, quorum gratia libero homini aures attererentur. Nondum laborem hunc quisquam eruditorum deuorauit, vt accuratam contexeret hominum sine *antestatione* in ius raptorum recensionem. Quae enim in rem IOACH. HOPPERVS 4), IAC. RAEVARDVS 5), IANVS DOVZA 6), AND. DACERIVS 7), CHR. CELLARIVS 8) & ILL. HEINECCIVS 9) collegerunt, exempli tantum loco adducta videntur. Neque ego in re tam obscura quicquam tentabo. Fures & raptores in hunc venisse censum nulli dubitant viri, quos recensui, celeberrimi. Adest & manifesta iuris ratio, quae veri facit speciem; & illustris apud M. ACCIVM PLAVTVM 10)

locus

locus. Ibi enim Euclio Lyconidem, aulae quadrilibris furem existimans, in ius rapturum se, ni reddat, comminatur, nulla flagitata sup cuiusdam praesentia:

referes. LYC. *Quid tibi ego referam?* EV. *Quod sur-*
ripuisti meum.
Iam equidem ad praetorem hercle te rapiam & tibi scribam dicam.

De seruis res conclamata esse omnique videtur carere dubio. Quum enim illos in rebus mancipi numerarent interque homines referri non paterentur, qua, quaeso, ratione adduci potuissent, vt ipsorum gratia liberum caput attingerent & ad subeundum testis officium sollicitarent? Forsitan eadem suasit ratio, vt seruus, cuius in sacris foederis noui tabulis 11) mentio iniicitur, conseruum ex eiusdem heri familia, sibimet obaeratum in ius rapiens, antestationis omitterent solennia; quae est peringeniosa PETRI NANNII 12) diuinatio. Quam quam negari nequeat, hanc, qua vtitur sospitator optimus, παραβολλν ad fori Iudaici rationes potius esse applicandam, nec, etiamsi ad Romanos ritus respexisse credamus dominum, firmam duci posse conclusionem, quum rapiens in ius itidem esset mancipium, cui vix vllus liber homo auriculam tangendam opposuisset. Lenones ita produci in scenam possunt, vt certo de iis constet certius, quod de caeteris notatis infamia homuncionibus suspicantur viri eruditi. Saturio PLAVTINVS, dum Dordalum lenonem in ius vocat, eo vtitur iuris priuilegio 13):

SA. *Age ambula in ius, leno.* DO. *Quid me in ius vocas?*
SA. *Illic apud praetorem dicam, sed ego in ius voco.*
DO. *Nonne* ANTESTARIS? SA. TVAN' EGO CAVSA CARNIFEX
CVIQVAM MORTALI LIBERO AVREIS ATTERAM?
Qui hic commercari ciues, homines liberos.

Apud EVNDEM comicum Pleusidippus adolescens quidam similem populi labem ita alloquitur 14):

Opta vtrum.
Rapi te obtorto collo mauis, an trahi?
Vtrum vis opta, dum licet. LE. *Neutrum volo*
PLEVS. *Abi sane ad litus curriculo, Trachalio,*
Iube illos in vrbem ire obuiam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderem.
Ego hunc scelestum in ius rapiam EXVLEM.

Exul in ius rapi ille dicitur, qui omni destitutus est auxilio. Qu autem maiores misero suppetias ferre potest eo, qui ad dicendum stimonium obstringitur, & ad tuendam, si veritas ita tu nocentiam obligatur?

1) In Phormione A. V Sc. 7. v. 88. sqq. Conf. HADR. TVR aduers. XXVIIII. c 14. p. 640. edit. Aureliop.
2) In notis ad TERENT. T. II. p. 1229
3) In Curcul. A. V. Sc. 3. v. 16. 17. *Inattestatum* pro *intestatum* legit PET. NANNIVS miscell. L. X. c. 1. ap. GRVTERVM th. crit. T. I. p. 1366
4) De arte iuris L. III. p. 566
5) Ad LL. XII. tabb. c. 5. Opp. T. I. p. 27
6) Not. ad PLAVTVM p. m. 621
7) Rem. hist. & crit. sur HORACE Sat. I. 9, 76. T. VI. p. 552
8) In diss. de processu iuris Rom. antiquo c. 3. n. 13. p. 22
9) Ant. Rom. ad Instit. L. IV. tit. 6. §. 14. T. II. p. 223
10) In Aulul. A. III. Sc. 16. v. 29. 30
11) MATTH. XVIII. comm. 28. 30
12) Loco, quem in nota 3. excitauimus
13) In Persa Act. IV. Sc. 9. v 8. seqq.
14) In Rudente A. III. Sc. 6. v. 15. sqq.

§. VIII

A Romanis solennem hanc auris vellicationem Francicae Germanicaeque stirpis nationes, vt alios ritus quam plurimos, didicerunt. Testantur id leges gentium singularum BAIOARIORVM 1), RIPVARIORVM 2), ALAMANNORVM 3), itemque insignia, quae CHRONICI REICHERSBERGENSIS auctor collegit, priuilegia 4). Nos, qui breuitati studemus, hoc in praesenti non persequimur latius argumentum. Nec enim quidquam apponeremus, crambe bis cocta, quam dulcius est ex ipsis maximorum virorum voluminibus degustare. Adeantur ergo, qui hanc sibi sumsere telam, FRID. LINDENBROGIVS 5), FRA. HOTTOMANNVS 6), FRID. BRVMMERVS 7), CHRIST. CELLARIVS 8), CAR. DV FRESNE 9), ILL. HEINECCIVS 10)

1) Tit. XV. c. 2. tit. XVI. c. 2
2) Tit. LX. c. 1
3) Tit. XCIIII
4) Ad a. 1152. 1153
5) In Glossario ad Leges antiquas v. *Antestatio* p. 1360. sq.
6) Obseruat. L. III. c. 15
7) Comment. ad Legem Cinciam c. 14. p. 224
8) In Diss de processu iuris Rom. ant. c. 3. n. 10. p. 21. 22
9) In glossar. med. Lat. v. *Auris* T. I. p 870. sq. edit. quam Parisiis CIƆ IƆCCXXXIII. adornarunt MONACHI ORDINIS BENED.
10) Elem. iur. Germ. L. III. tit. 5. §. 197. T. II p. 345